eam. Pestilente flagellato stultus sapien-
tior erit. Si autem corripueris sapientem
intelliget disciplinam. Qui affligit patrem
et fugit matrem ignominiosus est et infe-
lix. Non cesses fili audire doctrinam nec
ignores sermones scientie. Testis iniquus
deridet iudicium et os impiorum devo-
rat iniquitatem. Pa rata sunt derisoribus
iudicia et mallei percutientes stultorum
XX. corporibus. Luxuriosa res vinum et tumul-
tuosa ebrietas. Quicumque his delectatur
non erit sapiens. Sicut rugitus leonis
ita et terror regis. Qui provocat eum pec-
cat in animam suam. Honor est homini
qui separat se a contentionibus. Omnes autem
stulti miscentur contumeliis. Propter
frigus piger arare noluit mendicabit
ergo estate et non dabitur ei. Sicut aqua pro-
funda sic consilium in corde viri sed homo
sapiens exhauriet illud. Multi homines
misericordes vocantur virum autem fi-
delem quis inveniet. Iustus qui ambu-
lat in simplicitate sua beatos post se filios
derelinquet. Rex qui sedet in solio iudicii
dissipat omne malum intuitu suo. Quis
potest dicere mundum est cor meum. purus
sum a peccato. Pondus et pondus. men-
sura et mensura. utrumque abhominabile
est apud deum. Ex studiis suis intelligitur
puer si munda et recta sint opera eius. Aurem
audientem et oculum videntem dominus
fecit utrumque. Noli diligere somnum ne
te egestas opprimat. Aperi oculos tuos et
saturare panibus. Malum est malum
est dicit omnis emptor et cum recesse-
rit tunc gloriabitur. Aurum et multitu-
do gemmarum et vas preciosum labia
scientie. Tolle vestimentum eius qui fi-
deiussor extitit alieni et pro extraneis au-
fer pignus ab eo. Suavis est homini pa-
nis mendacii et postea implebitur os eius
calculo. Cogitationes consiliis roborantur
et gubernaculis tractanda sunt bella.
Ei qui revelat misteria et ambulat fraudu-
lenter et dilatat labia sua ne commiscea-
ris. Qui maledicit patri suo et matri extin-
guetur lucerna eius in mediis tenebris.
Hereditas ad quam festinatur in principio
in novissimo benedictione carebit. Ne di-
cas reddam malum. expecta dominum et libe-
rabit te. Abhominatio apud deum pondus
et pondus. Statera dolosa non est bona. A
domino gressus viri diriguntur. Quis au-
tem hominum intelligere potest viam
suam. Ruina est homini devorare sanctos
et post vota tractare. Dissipat impios rex
sapiens et incurvat super eos fornicem. Lucer-
na domini spiraculum hominis que in-
vestigat omnia secreta ventris. Misericordia et
veritas custodiunt regem et roboratur cle-
mentia thronus eius. Exultatio iuvenum
fortitudo eorum et dignitas senum cani-
ties. Livor vulneris abstergit mala et
plage in secretioribus ventris. Sicut divisi- XXI.
ones aquarum ita cor regis in manu domini.
Quocumque voluerit inclinabit illud. Omnis
via viri recta sibi videtur appendit au-
tem corda dominus. Facere misericordiam et
iudicium magis placet domino quam
victime. Exaltatio oculorum et dilatatio cor-
dis. lucerna impiorum peccatum. Cogita-
tiones robusti semper in habundantia. Omnis
autem piger semper in egestate est. Qui con-
gregat thesauros lingua mendacii vanus
et excors est et impingetur ad laqueos
mortis. Rapine impiorum detrahent eos
quia noluerunt facere iudicium. Perversa
via viri aliena est. Qui autem mundus est
rectum opus eius. Melius est sedere in
angulo domatis quam cum muliere

Pestilente fla.

gubernaculis tractandi

License: public_domain – Leuven, Archief van de Abdij van Park, VIIIB20/7, VIIIB20/8, VIIIB20/9, VIIIB20/10, VIIIB20/11, VIIIB20/12, VIIIB20/13, VIIIB20/14, VIIIB20/15, VIIIB20/92, VIIIB20/94, VIIIB20/97, VIIIB20/98, VIIIB20/104, VIIIB20/115, VIIIB20/116, VIIIB20/117, VIIIB20/164, VIIIB20/183, VIIIB20/7, fol. [1]v – Bible (https://fragmentarium.ms/view/page/F-bcyo/9157/68057)